




Splendore Generis, heroica virtute & egregia eruditione Nobilissimis & Amplissimis viris,

**DN. IOHANNI SPARRE,
DE SPARRISHOLM, EQVITI AV-
RATO STRENNISSIMO, ET ARCIS BA-
husiensis Præsidi Regio,**

Et

**DN. OTTHONI BRAHE, DN. DE NESBY-
HOLM &c. DOMINIS ET FAVORIBVS SVIS AETER-
num sufficiendis atque venerandis.**



Obilissimi iuxta ac omni laude præstantissimi viri, annus iam agitur vigesimus quintus, ex quo primum Hedelbergæ tractatum hunc de DICENDI & DISSERENDI ratione, in vestri gratiam & usum, ex optimis quibusuis dicendi & disseundi magistris concinnare, primaque eiusdem fundamenta iacere, occæperim. Nec Dicendi & Differendi solum præcepta hæc, tum uobis proponenda esse duxi; sed etiam eorundem praxin & usum, exhibitis variis iisque selectissimis argumentis, in contexendis orationibus & priuatis disputationibus adieci. Quod quanto cum fructu à me factum, vos ipsi testes eritis. Et egomet sane tum breui vos spatio plurimum in utroque profecisse non sine ingenti lætitia lætus lubensque animaduerti. Ceterum cum vocatus essem ad pædagogicum in hac Regia Academia munus, Anno 1600. existimauit me præmium operæ studioræ iuuentuti facturum; si hæc eadem, plurimis tamen præceptionibus locupletata, & exemplis illustrata, in publicum docendi theatrum producerem. Sed quid? Cum maximam partem publicis prælectionibus absoluisset, præter meam expectationem ad Græcæ linguæ Professionem vocatus sum. Et ea propter ab incepto desistens, supremum huic apicein & Colophonein, ut lubens volui, adiicere nequibam. Interea qui me audiuerunt